



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Qvæstio I. Virtutum Theologicarum existentia & quidditas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

THEOLOGIAE SCHOLASTICAE.

TRACTATUS VI.

DE HOMINE PROVT PRÆPARATVS
EST AD BEATITVDINEM PER VIRTUTES
Theologicas & Morales.

S. Thomas, *Prima secunda & secunda secunda.*

Virtutum
laus.



PROPTVNE post Tractationem de gratia Dei, sequitur Virtutum consideratio, quarum mater & nutrix gratia Dei est, nascuntur videlicet omnes in eius sinu, eius lacte nutriuntur, amore illius & spiritu adolefcunt. Deo in omnibus similes à quo prodeunt totius Deitatis radij lucidissimi, & germani similitudinis eius colores. *Diuinæ vestis aurea fimbria* (inquit Isidorus Pelusiota) *regia hominis purpura eximiumque paludamentum*, vt ait Nyssenus, & vt loquitur Cassiodorus, *ambienda diuitiæ, pretiosus animæ census.*

Fidei, Spei
& Charitatis laus.

De illis cum S. Thoma dicere deinceps aggredior initio ducto à Theologicis: quæ non solum ex Deo, sed etiam de Deo & pure diuinæ sunt. Primò ergo de ijs Virtutibus generatim dicendum videtur, deinde singulis disputationibus erunt explicandæ Fides, Spes, Charitas, triplex color, quo diuinæ in nobis Trinitatis imago pingitur, triplex gloriæ corona super caput iusti, funiculus triplex quo perficitur vnio nostra cum Deo, & demùm triplex diuini luminis radius in nube Iridem formans.



DISPUTATIO I.

De virtutibus Theologicis generatim consideratis.



HÆ sunt igitur Virtutes omnium primæ ac nobilissimæ, fecundissimi meritorum omnium fontes, & primaria diuinæ sanctitatis in nos effusæ participatio, quarum generalis consideratio tria videtur exigere. Primum est existentia & quidditas Virtutum Theologicarum. Secundum earum proprietates. Tertium earum causæ.

QVÆSTIO I.

Virtutum Theologicarum existentia & quidditas.

ID est, an sint in nobis Virtutes aliquæ infusæ reuerà Theologicæ, quid sit virtus Theologica, & quod duplex illa sit.

Tom. I.

SECTIO I.

An sint virtutes aliquæ Theologicæ à Deo infusæ.

Certum est primò, Virtutem vniuersim sumptam bene definiri à Philosopho 2. *Ethicorum cap. 6.* est habitus qui reddit habentem bonum, & operationem eius bonam: dicitur (habitus) quia est qualitas permanens inherens potentie rationali, non autem transiens sicut actus. Deinde dicitur (quod reddat habentem bonum) id est in se ipso perfectum, quod conuenit virtuti cum intellectus cum voluntatis, vocatur autem optimè à S. Thoma *ultimum potentia*, quia est vltimum illud ad quod pertinere potest potentia vt planè perficiatur. Denique dicitur virtus (reddere operationem eius bonam) quia est principium complens potentiam ad operationem sibi propriam perfectò modo eliciendam: vnde definitur etiam, dispositio perfecti ad optimum. Altera verò definitio virtutis sumpta ex Philosopho eo loco, virtus est habitus electius in mediocritate consistens ea quæ est ad nos, determinata ratione quam

Virtus
quid sit ex
Philosopho.

VV u

quam

quam prudens definierit, propria est definitio virtutis solum moralis vt infra explicabitur.

Virtus supernaturalis quid sit.

Certum est secundò, nomine (virtutis supernaturalis) intelligi habitum aliquem virtutis qui sic inhæreat creato alicui subiecto, vt tamen sit supra exigentiam subiecti cuiusunque creati aut creabilis, vnde sequitur etiam quod à solo Deo produci possit. Hanc enim propriam esse notionem entis supernaturalis probabitur quæstione secunda. Quid autem (Theologica) propriè significet liquebit ex sequenti sectione.

Sensus difficultatis.

Difficultas igitur nunc est, vtum admittendæ necessariò sint in nobis Virtutes infusæ à solo Deo, supra omnem omnino exigentiam subiecti quod illas recipit, vtum illæ in omnibus iustis semper cum gratia infundantur, & vtum hoc sit certum de Fide.

Prima ratio dubitandi.

Ratio autem dubitandi est primò, quia omne accidens naturaliter, & essentialiter respicit aliquod subiectum in quo existat: habitus isti sunt accidentia, ergo naturaliter isti habitus esse debent in aliquo subiecto saltem creabili: Maior ex terminis nota est, accidens enim essentialiter & ex sua natura exigit esse in subiecto, ergo naturaliter esse potest in tali subiecto. Deinde habitus isti habent obiecta naturalia, ergo non sunt supernaturales: Probo antecedens, nam obiectum habituum qui spectant ad intellectum continentur intra obiectum adæquatum intellectus, & obiectum habituum qui spectant ad voluntatem est intra obiectum adæquatum voluntatis, ergo obiectum istorum habituum est purè naturale.

Secunda.

Secundò, si dantur huiusmodi habitus, illi debent spectare ad speciem aliquam qualitatis, non possunt autem spectare ad vllam ex speciebus numerari solitis, non enim pertinent ad primam speciem qualitatis cum potentiam non faciliunt, neque pertinent ad secundam quia non sunt potentia, præsupponunt enim potentias. Deinde non est maior ratio cur intellectus & voluntas vt eliciant operationem supernaturalem debeant in se recipere intrinsecam qualitatem, per quam eleuentur ad operandum connaturaliter, quam aqua v.g. si physicè gratiâ producit in sacramento: sed aqua produceret gratiam sine habitu superaddito per solam eleuationem extrinsecam, ergo intellectus & voluntas non egent vllò habitu superaddito. Imò si ad operationem vitalem connaturalem requiritur principium intrinsecum, auxilium gratiæ, quod est intrinsecum potentia sufficere omnino poterit. Denique agere connaturaliter est agere naturaliter, sed potentia quantumvis instructa sit habitu agit tamen supernaturaliter, & eget gratia, ergo potentia isto etiam habitu instructa non agit connaturaliter.

Tertia.

Tertiò, nullo indicio probari possunt isti habitus, qui non faciunt potentias, neque producuntur physicè per actus, nec sunt simpliciter necessarij ad operandum non sunt causæ instrumentales actuum cum sint illis nobiliores: nec sunt causæ principales quia semper ad agendum indigent eleuatione.

Afferio prima.

Dicendum tamen primò est, esse omnino certum dari habitus Virtutum Theologicarum imò & moralium, à Deo infusos, & supernaturales, secundum substantiam, quos simul cum gratia quilibet iustus simul omnes recipit à Deo. Ita docent vnanimiter Theologi omnes cum S. Thoma 1.2.9.62.

Probatum primò ex Concilijs.

Primò enim ita definitum videtur in Conc. Vienne, quod saltem in adultis simul cum gratia den-

tur habitus virtutum; & longè apertius idem declaratur in Tridentino sess. 6. c. 7. vbi dicitur: *Quod omnibus iustificatis infundantur simul gratia & dona*, quod magis explicans addit: *Quod in ipsa iustificatione hæc omnia accipit homo simul infusa per Iesum Christum cui inseritur Fides, Spes, Charitatem*, quod nulla interpretatione declinari potest præsertim cum id declaratur in Concilio Moguntino c. 7. & in Bullis Pij & Gregorij contra Michaëlem Baïum.

Secundò, valent hic omnes etiam scripturæ quibus olim probatum est gratiam quâ iustificamur esse aliquid intrinsecum & inhærens animæ: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris: nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, maior autem horum est charitas*. Ratio quoque allata supra est, quia vbi est forma constituens hominem viuentem vitâ diuinâ, ibi debent etiam esse potentia operatiuæ actuum diuinorum, in iustis gratia est constitutiva diuini status & vitæ, ergo necesse est vt dentur etiam habitus operatiui velut potentia. Deinde ratio quoque S. Thomæ huc facit, quia non potest ordinari homo ad finem supernaturalem nisi habeat principia supernaturalia quibus possit bene operari in ordine supernaturali. Hæc autem principia sunt habitus isti de quibus agimus. Denique aliæ quoque rationes optimæ sunt, quia isti habitus si essent naturales per vnicum actum naturalem non toti destruerentur, v.g. vnicus actus infidelitatis non destrueret totum habitum Fidei, nam habitus naturales non omnino destruuntur per vnicum actum contrarium: certum autem est ex Concilio Tridentino quod habitus fidei per peccatum infidelitatis etiam vnus totus deperditur. Præterea isti habitus si essent naturales darent facilitatem ad operandum, quod repugnat experientia, nam homo recens iustificatus, non experitur illam facilitatem. Imò eandem experitur difficultatem ac si nullum accepisset habitum.

Dico secundò, certum esse de Fide quod dentur in omnibus iustis habitus Virtutum supernaturales. Ita communis Theologi, quamvis Sotus, Medina, Canus & Vasques negent id esse de Fide, sed Theologice duntaxat certum.

Ratio tamen est, quia in Concilio iam citato dicitur quod susceptio gratiæ ac donorum sequitur præparationem & dispositionem: Illa præparatio sunt actus Fidei, Spei, & Charitatis, ergo susceptio gratiæ ac donorum sequitur actus Fidei, Spei, & Charitatis atque adeò ex mente Concilij dona Virtutum non sunt soli actus; explicat enim statim quæ sint dona illa, cum addit *Quod in iustificatione hæc omnia accipit homo fidem, spem, charitatem*. Denique sessione illa sexta, capite decimo quinto, dicitur quod per quodlibet peccatum mortale amittitur gratia non tamen Fides, vbi certum est nomine (fidei) significari aliquid permanens.

Ad primam Respondeo distinguendo primam maiorem: omne accidens respicit naturaliter aliquod subiectum in quo recipiatur naturaliter nego, in quo recipiatur naturaliter vel obediencialiter concedo: aliud enim est dicere quod accidens naturaliter respiciat aliquod subiectum, aliud quod recipiatur naturaliter in aliquo subiecto: & quod ab illo respiciatur naturaliter. Habitus Fidei naturaliter respicit intellectum, sed intellectus non naturaliter respicit habitum fidei. Deinde nego obiecta horum habituum esse naturalia, vt postea constabit, quamvis enim obiecta istorum actuum sint obiecta potentia naturalis, sunt tamen obiecta potentia naturalis agentis obediencialiter, quælibet enim potentia ordinem habet essentialem ad obiectum adæquatum.

adaquatum, non dicit tamen ordinem naturalem, ut dixi agens de supernaturalitate visionis beatæ.

Secundæ.

Ad secundam Respondeo, habitus istos Theologicos pertinere posse aliquo modo ad primam speciem qualitatis, quia non sunt prima ratio agendi. Ad secundam quæ est potentia & impotentia pertinere etiam possunt, quia complent potentias operativas, & non dant solam facilitatem ut alij habitus. Deinde nego esse paritatem inter potentiam obedientialem vitalem, & potentiam obedientialem non vitalem, homo enim iustus habens in se formam quâ constituitur in esse diuino, debet etiam, ut dixi, habere potentias per quas operari possit diuinè connaturaliter, & permanenter: aqua verò si obedientialiter gratiam producit nihil in se habet ratione cuius exigit agere connaturaliter. Ad hoc autem ut potentia connaturaliter operetur debet habere principium intrinsecum & permanens per quod compleatur in ordine ad tales operationes: unde nec sufficere potest auxilium gratiæ quod non dat operari connaturaliter, aliqui peccator quando contentur, operaretur connaturaliter: ratio ergo est, quia operatio connaturalis elici debet per principium intrinsecum permanens & completum. Denique absolute falsa est vltima illa propositio, quod agere connaturaliter, sit agere naturaliter hoc enim prima parte fusè reiectum est cum egi de visione dei.

Tertiæ.

Ad tertiam Respondeo supernaturalitatem istorum habituum non ex solis actibus probari, sed præsertim ex Conciliis, & ex supernaturalitate finis ad quem eleuati sumus à Deo: imò supernaturalitatem actuum aliunde probari quàm ex supernaturalitate habituum postea constabit. Reliqua ex sequentibus solui debent.

SECTIO II.

Quid sit propriè virtus supernaturalis & Theologica.

Tres conditiones
Virtutis
Theologica.

Certum est primò, quod ad virtutem Theologicam tres conditiones vulgò requiruntur à Theologis cum sancto Thoma art. 1. citato. Prima est ut obiectum immediatum illius virtutis cum materiale tum formale non sit perfectio aliqua creata, sed ipse Deus. Secunda ut sit à Deo immediatè infusa, non autem per vllum actum physicè producta: tertia ut à Deo in scripturis sit reuelata: ut videas quomodo Virtutes illæ totæ Dei sint & diuinæ, cum eas & solus Deus dicat, solus faciat, solus earum sit motuum & subiectum.

Virtutis
Theologica
primæ
de
finitio.

Certum est secundò, commodè posse definiri virtutem Theologicam, est habitus virtutis supernaturalis à Deo infusus, eleuans potentiam vitalem creatam, & cum illa connaturaliter eliciens actus supernaturales immediatè circa Deum. Sic enim virtus Theologica primò distinguitur à Virtutibus naturalibus, quæ acquiruntur per actus, & ad eos faciunt. Secundò distinguitur à Virtutibus supernaturalibus purè moralibus quarum obiectum immediatum non est perfectio aliqua increata, sed honestas moralis alicuius actionis creatæ. Tertio distinguitur à donis Spiritus sancti quæ non sunt virtutes. Sed hæc tria explicari difficile possunt.

Prima ratio
dubii.

Ratio verò dubitandi est primò, quia falsò asseri videtur quod habitus isti non dent facilitatem, experientia enim constat eum qui multis & intensis actibus acquisiuit habitum intentum, elicere postea facillimè actus illi similes: quæ facilitas provenire non potest nisi ab habitu supernaturali, aliqui per actus supernaturales generarentur etiam in nobis

Tom. I.

habitus naturales quod absurdum videtur. Imò experientia docet eum qui crebro actus Fidei elicit habere facilitatem ad assentiendum quibusdam articulis etiam si esse incipiat infidelis circa quosdam alios articulos, & tamen ille totum amittit habitum Fidei: ergo ille præter habitum infusum, habitum etiam acquisiuit naturalem: similiter si vir aliquis perfectissimus misere incidat in peccatum mortale certè ille seruat aliquam facilitatem in actibus virtutum quos prius frequentabat: denique habitus acquisitus idè tantum dicitur facilitare quia simul cum potentia concurrat ad ipsos actus, & sic auget vim actuum eius: virtus infusa simul cum potentia concurrat ad actus ipsos, & sic auget vim eius actuum, ergo habitus infusus faciliat. Imò quamuis isti habitus dent simpliciter operari, quando tamen sunt intensiores dant operari faciliè, sicut certum est species impressas dare operari, & tamen quando sunt intensiores dant operari faciliè, ergo de istis habitibus idem potest dici.

Secundæ.

Secundò, falsò etiam asseri videtur quod virtus Theologica versetur immediatè circa Deum, non autem moralis, vel enim hoc intelligitur de obiecto materiali, vel de formali. De materiali videtur non posse intelligi nimirum de re quæ creditur aut amatur: fides enim verbi gratia non magis versatur circa Deum ut obiectum materiale quàm religio, sicut enim fides credit Deum, sic religio illum colit & habitus Theologiae Deum habet pro obiecto æquè ac fides: charitas proximi est virtus Theologica & tamen patet quod eius obiectum materiale non est Deus.

Tertiæ.

Tertio, difficilius ex obiecto formali licet argumentari, nam religio & pœnitentia non minus immediatè versantur circa perfectionem increatam, ut motuum proximum, quàm fides, Spes & Charitas, ergo virtus Theologica per hoc non differt à moralibus, quod obiectum eius formale sit perfectio increata. Antecedens probatur primò de virtute fidei, sicut enim Fides Deo credit sic religio exhibet cultum Deo, & sicut Fides mouetur per primam veritatem reuelantem, sic religio per infinitam Dei excellentiam: Fides Deo credit, quia verax est, religio Deum colit, quia est supremus dominus: Fides credit articulum propter reuelationem primæ veritatis, ita ut prima veritas non moueat ad credendum nisi mediante reuelatione, religio autem colit Deum propter reuerentiam Dei summè excellentis, adeo ut excellentia Dei magis immediatè moueat ad Deum colendum, quàm moueat prima veritas ad credendum Deo: prima enim veritas non mouet ad credendum nisi ut reuelans, excellentia verò Dei ut sic mouet ad cultum: ergo religio quæ non est virtus nisi moralis magis immediatè versatur circa perfectionem diuinam, quàm Fides quæ mediante reuelatione versatur circa primam veritatem.

Idem argumentum de spe.

Præterea idem probatur de Spe, nam idè spes est virtus Theologica quia versatur circa Deum possidendum vel si velis circa possessionem Dei sed, religio versatur circa Deum colendum, vel si velis circa cultum Dei, ergo par omnino ratio est.

Denique de charitate res videtur clarior, nam charitas idè est Theologica, quia motuum propter quod vult Deo bonum, est infinita Dei bonitas, sed motuum propter quod religio vult cultum Dei est infinita Dei excellentia, ergo religio non est minus virtus Theologica quàm charitas: cur enim velle Deo bonum quia bonus est, erit actus Theologicus, & velle Deo cultum quia summè excellens est non est actus nisi moralis, cum vterque Deum respiciat æquè immediatè.

V V u 2

mediatè. Neque dicas religionem respicere Deum in obliquo tantum, tanquam subiectum cui vult cultum. Similiter enim charitas respicit Deum formaliter tanquam finem, cui, & subiectum cui vult bonum. Neque dici potest quod religio mediatè tantum versetur circa Dei excellentiam, sicut enim immediatè charitas Deum amat sic religio immediatè colit & laudat Deum propter excellentiam.

Quarto.

Quarto, non apparet vlllo modo quod istæ Virtutes quæ appellantur Theologicae differant à donis Spiritus Sancti, nam ista sunt habitus boni, à Deo infusi, & habent Deum pro obiecto formali, ergo nihil illis deest quo minus appellentur virtutes Theologicae.

Assertio prima.

Dico primò, Virtutes Theologicas & habitus supernaturales aliarum virtutum, esse principia intrinseca per quæ potentia connaturaliter operatur, sed per ea tamen non facilitatur. Ita docent communiter Theologi relati à Suare *lib. 6. de gratia cap. ult.* Valque *1. 2. disp. 83. cap. 1.*

Probat. 1.

Ratio est, quia si habitus isti darent facilitatem potentij, sequeretur eum semper experiri facilitatem in actibus supernaturalibus, qui habet habitus supernaturales valde intensos, sed multi sapè homines in quibus valde intensi sunt isti habitus maximam experiuntur difficultatem in exercendis actibus harum Virtutum; sit enim aliquis qui post multos heroicis actus virtutum, incidat in peccatum mortale, & per plures annos in eo perseueret: is si postea suscipiat ritè sacramentum, recuperat totam gratiam & omnes habitus quos prius habebat, & tamen certum est quod magnam experitur difficultatem in eliciendis actibus virtutum quos diu omisit, ergo signum est quod per habitus intensos non acquiritur facilitas.

Similiter sit maximus aliquis peccator, imò hæreticus qui charitatis actum eliciat intensissimum, ille magnam sine dubio assequetur gratiam, & tamen est certum quod magnam in exercitio Virtutum parietur difficultatem. Neque recurrere licet ad habitus vitiosos oppositos, si enim habitus supernaturales darent facilitatem potentij deberent necessario per illos destitui habitus vitiosi, quia per facilitatem tollitur difficultas.

Vtrum autem per actus supernaturales producantur habitus naturales facilitantes, similes ijs qui per actum naturalem gignerentur difficilius contraria est, in qua partem affirmatiuam asserunt multi cum Molina, Azor, Coninck, alij longè probabilius sequuntur negatiuam cum Suare *lib. 6. de gratia, cap. 14.* Valque *1. 2. disputat. 79. cap. 10.* Valentia *quest. 3. p. 4.*

Probat. 2.

Ratio est, quia nullus actus producit habitum nisi circa idem obiectum materiale & formale in quod ipse tendit, nam actus scientiæ v. gr. non gignit habitum Fidei vel opinionis, sed habitus naturalis non potest versari circa idem obiectum materiale & formale, circa quod versatur actus supernaturalis vt patebit infra, ergo actus supernaturalis non gignit habitum naturalem. Deinde habitus nunquam faciliat nisi producendo actum simul cum potentia, modus enim facilitatis, quem aliqui dicunt produci ab habitu se tenet ex parte operantis, nec est aliquid producibile in actu, sed habitus naturalis non potest producere actum supernaturalem, ergo non faciliat potentiam ad actum supernaturalem. Quomodo autem experiamur aliquam facilitatem post elictos actus supernaturales dicitur in sequentibus.

Assertio secunda.

Dico secundò, nullam esse Virtutem Theologicam cuius obiectum formale immediatum non sit perfectio aliqua increata & diuina: Virtutes autem mo-

rales nunquam immediatè versantur circa Deum tanquam obiectum formale directum & immediatum sed mediatè tantum & indirectè.

Ratio est, quia Virtutes idèò tantum dici possunt speciali modo Theologicae, quia speciali modo sunt diuinæ, id est respiciunt Deum, sed non semper Deum respiciunt vt obiectum materiale, multi enim actus sunt Theologici quorum obiectum materiale Deus non est, qualis est v. gr. charitas Proximi: ergo non possunt dici Theologicae nisi quia eorum obiectum formale immediatum, saltem inadæquatum est perfectio aliqua increata, quod neque vlli virtuti morali, neque donis Spiritus Sancti conuenire potest, vt amplius patebit ex solutione argumentorum.

Ad primam enim Respondeo potentiam intellectiuam & volitiuam (vt rectè annotat Coninck *numero 31.*) ita in nobis esse connexas cum imaginatione & appetitu, vt nihil vnquam intellectus attingat corporeum aut spiritale, nihil etiam amet voluntas, quin illud idem apprehendat pars inferior animæ, vel etiam amet prout imagine quadam corporea vestitum: Cor enim & caro simul exultant in Deum viuum. Vnde fit vt nunquam etiam meritorie producat habitus supernaturalis per actum supernaturalem & spiritalem, quin producat in inferiori parte animæ habitus aliquis naturalis & materialis à quo prouenit facilitas aliqua mediata, & indirecta ad actum supernaturalem: manent enim phantasmata & habitus in appetitu per quos voluntas facilitari aliquo modo potest. Quod vnum probant omnia quæ afferuntur in argumento, qui enim multos eliciunt actus supernaturales, multos etiam actus eliciunt actus naturales circa obiecta eadem materialia, ex quibus oritur habitus inclinans ad eadem obiecta materialia. Habitus acquisitus idèò faciliat, quia simul producit actum ad quem potentia est completa intrinsecè: si autem produceret actum ad quem potentia esset intrinsecè incompleta, non diceretur facilitare, sed daret simpliciter operari. Habitus ergo supernaturales cum non supponant potentiam esse intrinsecè completam ad actus quos cum illa simul producant, non faciunt potentiam sed illam complent. Species impressæ quantumcunque intensæ nunquam dant veram facilitatem, quia tota facilitas est aliquid se tenens ex parte potentiae, species autem semper se tenent ex parte obiecti.

Ad secundam satis dictum est, habitus Theologicos nullo modo specificari per obiecta materialia; sed per obiecta formalia circa quæ tota est difficultas.

Ad tertiam ergo Respondeo aliquas esse Virtutes morales, quarum obiectum formale remotum & indirectum est perfectio aliqua increata, sed earum tamen omnium obiectum formale proximum semper esse honestatem actus alicuius Deo debiti propter excellentiam huiusmodi v. gr. est religio cuius obiectum immediatum non est aliud quàm honestas cultus Deo debiti, propter supereminens dominium; Deum enim indirectè solum & oblique respicit, quia vult colere Deum, non quia cultus est bonum Dei summè perfecti, qui est actus veræ charitatis, sed quia honestum est colere Deum summè perfectum: Virtutes autem Theologicae semper pro formali obiecto immediato & directo habent perfectionem increatam.

Primò enim fides credit immediatè primæ veritati, ita vt reuelatio sit tantum vel conditio vt aliqui putant, vel applicatio primæ veritatis, vel certè obiectum formale inadæquatum, semper enim prima veritas immediatè mouet, neque reuelatio est aliquid

quid quo mediante credam primæ veritati: si enim est conditio vel obiectum inadæquatum non est medium credendi primæ veritati: si autem est tantum tendentia primæ veritatis & applicatio, certè non impedit quo minus immediatè credam primæ veritati, sicut visio non impedit quo minus immediatè videam obiectum, cum sit ratio videndi; motuum enim immediatum Fidei est prima veritas reuelans, non autem honestas credendi propter primam veritatem: sed nec ipsa reuelatio, sed sola prima veritas immediatè in se ipsa propt applicata per reuelationem: Motuum autem religionis est honestas diuini cultus propter eius excellentiam, ubi vides Dei excellentiam esse obiectum remotum religionis quæ immediatè respicit honestatem.

Instantia. Dices sicut honestas diuini cultus mediat inter actum religionis & excellentiam Dei, sic reuelatio creata mediat inter actum fidei, & primam veritatem ergo fides non magis immediatè tendit in Deum quam religio.

Solutio instantiæ. Respondeo negando antecedens, nam honestas diuini cultus mediat inter religionem & Dei excellentiam tanquam motuum adæquatum illius actus: reuelatio autem mediat inter fidem & primam veritatem tanquam applicatio primæ veritatis cum obiecto reuelato. Credo quia Deus, qui est prima veritas hoc dixit. Colo autem Deum religione non quia Deus est excellens, sed quia honestum est colere Deum ita excellentem, nam colere Deum quia excellens est actus est charitatis, vt dixi.

Obiectum Spei. Secundò, de Spe Theologica Respondeo verum esse quod spes versatur circa Deum possidendum, ita vt tunc Deus summum bonum, tunc possessio Dei sit vnicus motuum formale directum & immediatum sperandi: quia vt olim dixi finis (qui) seu bonum amatum, & finis (quo) seu adeptio boni amati non sunt duo fines adæquati quorum vnus causet mediante alio, sed duæ rationes inadæquatæ vnus finis adæquati, summum enim bonum speratur omnino directè, & immediatè, non enim ad sperandum moueor ab honestate actus ipsius Spei, sed propter ipsum summum bonum possidendum, religio verò versatur circa honestatem tanquam circa id per quod solum mouetur immediatè, per excellentiam Dei mediatè solum mouetur.

Obiectum Charitatis. Tertiò, de Charitate res quoque manifestè patet, nam illa vult bonum Deo vt fini (cui) propter infinitam eius excellentiam, ita vt directum & immediatum motuum volendi bonum, sit infinita Dei excellentia, non autem honestas volendi hoc bonum Deo. Religio vult cultum Deo vt fini (cui) sed motuum formale proximum est honestas cultus, remotum est Dei excellentia. Fateor ergo quod charitas & religio æquè Deum respiciunt immediatè vt finem (cui) sed non æquè illum respiciunt vt motuum formale, & finem (cuius) Charitas fertur in bonum Dei, quia Deus bonus est: religio fertur in cultum Dei quia est honestus cultus redditus Deo summè excellenti.

Solutio quartæ. Ad quartam Respondeo dona Spiritus Sancti posse quidem Virtutes appellari si (Virtutis) nomen latius sumatur propt significat omnem habitum qui honestus est ex obiecto. Si tamen propriè sumatur nomen (virtutis) propt significat operationem bonam ordinario modo factam, & quasi per proprium motum hominis, tunc dona Spiritus Sancti non dicuntur Virtutes, sunt enim habitus quibus homo fit facile mobilis à Spiritu Sancto per instinctum specialem illum mouente. Quod inductione omnium horum donorum probari potest.

Dona Spiritus Sancti. Primò enim certum est dona illa esse quosdam habitus à Deo infusos, non autem operationes tantum

transcuntes, cum per ea dicatur requiescere in nobis Spiritus sapientiæ, Spiritus scientiæ, &c. Requies autem illa denotat permanentiam, quæ minus propria est actibus transcuntes. Censet tamen contrarium Vasques cum nonnullis alijs.

Secundò, numerus illorum donorum quamuis non sit omnino certus, commodè tamen reuocari solet ad septem illa dona quæ numerantur Isaia 11. *Requiescet super eum Dominus, spiritus sapientiæ, & intellectus spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis & replebit eum spiritus timoris Domini*, quia scilicet omnes extraordinariæ motiones Spiritus Sancti ad septem reuocantur.

Tertiò, illa omnia dona simul infunduntur omnibus iustis etiam indoctis simul cum gratia, quia illi participant integram iustitiam Christi, & in eius persona censentur promissa esse omnibus iustis. Imò decet hominem iustum vt faciliè à Spiritu Sancto moueri possit in ijs quæ ad salutem sunt necessaria. Imò ad perfectionem etiam iustitiæ dona illa pertinent cum eorum aliqua deseruiant Fidei, quædam deseruiant Spei, quædam verò Charitati vt constabit ex postea dicendis. Neque obstat quod plures iusti cum sint indocti non possint explicare mysteria Fidei, quomodo ergo dicuntur habere donum sapientiæ, scientiæ, intellectus, quæ ad intellectum pertinent non obstat (inquam) quia hoc euenit ob defectum specierum, sine quibus illi habitus non producant actus suos.

Quartò, proprium horum donorum munus est reddere hominem facile mobilem à Spiritu Sancto ita vt per ea promptus efficiatur ad obediendum motionibus extraordinarijs Spiritus Sancti, sicut proprii actus donorum in eo consistunt quod homo promptè sequatur motionem extraordinariam Spiritus Sancti. Vide Suarez lib. 2. de Gratia, cap. 17. libro 6. capite 10.

Dona Spiritus Sancti infunduntur omnibus iustis.

Munus donorum Spiritus Sancti.

SECTIO III.

Quotuplex sit Virtus Theologica.

Ratio dubitandi est primò, quia non est necesse ponere plures Virtutes Theologicas si satis sit ponere vnica, vel certè nihil est necesse tres inducere, si duæ sufficiunt quarum vna versetur circa Deum vt verum, altera circa Deum vt bonum, sicut vna est potentia intellectus quæ versatur circa verum, & vna voluntas quæ versatur circa bonum, sic vnus sufficit habitus virtutis in intellectu & alter in voluntate. Imò si duæ sunt in voluntate distinctæ Virtutes Theologicæ, circa Deum bonum debebunt etiam esse duæ in intellectu circa Deum bonum.

Secundò, ad Fidem pia requiritur affectio in voluntate, ad quam requiritur sine dubio habitus voluntatis distinctus ab habitu fidei, ille habitus est Virtus Theologica, ergo non sunt tres tantum Virtutes Theologicæ. Similiter iudicium supernaturale speculatiuum aut etiam practicum quod precedit actum Fidei procedit ab aliquo habitu supernaturali distincto ab habitu fidei.

Tertiò, Theologia est Virtus intellectualis cum attingat verum infallibiliter, & supernaturalis cum præsupponat Fidem supernaturalem & in ea fundetur, habetque pro obiecto Deum, ergo est virtus Theologica.

Dicendum tamen est tres esse Virtutes Theologicas realiter inter se distinctas, Fidem, Spem, Charitatem, ita vt neque sint plures, neque pauciores.

Primò enim quod pauciores non possint esse quam tres, satis colligitur ex Apostolo 1. ad Corinth. 13.

Prima ratio dubitandi.

Secunda.

Tertia.

Affertio prima.

Probat primo.

V V u 3

Nunc

Nunc autem manent tria hæc Fides, Spes, Charitas. Cum autem dicit (tria hæc manere) significat illa esse tria distincta. Deinde certum est illa tria separata manere, nam in patria manet Charitas sine Fide vel Spei in peccatoribus manere potest Fides sine Spe vel Charitate. Deinde probat necessitatem huius numeri optimè S. Thomas, *quæst. 62. artic. 3.* Quia ut in Deum tanquam finem tendamus supernaturalem, tria requiruntur, primum est cognitio huius finis, quæ ad fidem pertinet, secundo appetitus efficax huius finis, qui est actus Spei, tertio ad illum finem omnia referre, quod munus est Charitatis. Deinde bona etiam est Suaris ratiocinatio, quia Deum non possumus attingere nisi & sub ratione veri, & sub ratione boni. Deum sub ratione veri non attingit nisi Fides, sub ratione boni attingi potest duobus modis, ut est in se summè bonus & propter se amabilis quod facit Charitas, & ut est summum bonum ipsius amantis, quod facit Spes.

Secundo, quod plures non sint quam tres, minus est certum quamvis communiter sit receptum, nulla enim actio est Theologica quæ ad unam ex illis tribus non possit referri ut ex dicendis patebit.

Solutio
primæ du-
tationis.

Ad primam enim Respondeo eodem argumento probari posse quod vnica in homine sit potentia cuius obiectum sit ens, vna scientia cuius obiectum sit Scibile, vna virtus moralis cuius formale obiectum sit honestas. Nego igitur dari posse unam virtutem cuius obiectum sit Deus, quia sub triplici ratione formali Deus attingi potest. Vnica est virtus Theologica in intellectu cum tamen sint duæ in voluntate, quia intellectus viatoris sub vnica ratione formali attingit Deum supernaturaliter, Deum enim obscurè solum cognoscimus, & in ænigmatæ propter reuelationem. Voluntas autem Deum attingit supernaturaliter sub duplici ratione formali & quatenus est in se bonus, & quatenus est bonus ipsi amanti. Voluntas vnica potentia est quæ attingere potest Deum sub vtraque illa ratione, quia obiectum formale voluntatis latius patet, quàm obiectum formale habitus. Deinde potentia voluntatis ut potest sperare nunquam separatur à potentia voluntatis ut potest amare, habitus autem Spei, separatur ab habitu charitatis.

Secundæ.

Ad secundam Respondeo habitum illum voluntatis quo inclinamur ad volendum credere reuelatis esse verum habitum supernaturalem distinctum ab habitu Fidei, sed illam esse Virtutem Moralem non Theologicam, quia eius obiectum est honestas credendi primæ veritati reuelanti. Iudicium illud speculatiuum quod actum Fidei præcedit, ostendam infra esse purè naturale: & si esset supernaturale, non esset tamen Theologicum, cum eius obiectum non sit perfectio increata: ex quo etiam defectu iudicium practicum præluens voluntati credendi, est purè morale pertinens ad prudentiam.

Tertiæ.

Ad tertiam Respondeo habitum scientiæ Theologiæ non esse nisi naturalem, cum immediatè nitatur discursu naturali, neque sequitur aliquid esse supernaturale, quoties præsupponit aliquid supernaturale, nam hæreticus credit multos articulos, reuelatos fide acquisita. Sed neque obiectum formale Theologiæ perfectio est increata, versatur enim circa Deum ut cognoscibilem discursu.

* *

QVÆSTIO II.

De generalibus virtutum infusarum proprietatibus.

Sic constituta existentia, quidditate, ac numero harum virtutum, maior sequitur controuersia de generalibus illarum proprietatibus, in quibus tamen explicandis omitti ea omnia debent quæ disputata prima parte de lumine gloriæ, nam huc illa omnia ferè pertinent, cum lumen illud & fax cælestis Ierusalem non sit nisi habitus supernaturalis. Omissis igitur illis omnibus tria restant. Primum an & quomodo habitus isti sint supernaturales, secundo vtrum sint extensiuè indiuisibiles, tertio vtrum essentialiter sint Virtutes, ita ut nunquam possint esse vitia, quod autem poni quarto loco poterat quomodo isti habitus sint causæ solum instrumentales actuum quos produciunt solum omnino est prima parte cum dictum est de lumine gloriæ quod non est nisi causa instrumentalis, actus visionis.

SECTIO I.

An & quomodo Virtutes Theologiæ sint supernaturales.

Hæc est prima & nobilissima proprietas harum Virtutum, quod superent omnem naturam, hoc autem difficillimum est sanè dicere, quia non satis constat quid sit illa supernaturalitas in genere, deinde vnde habeant actus & habitus quod superent omnem naturam etiam possibilem, an ab obiectis formalibus, an verò à principiis productiuis, quod est quærere vnde probari possit à priori, & non à posteriori tantum, quod sint supernaturales, primo ergo inquirendum est quænam sit propria quidditas entis supernaturalis in genere, id est quid sit habitus & actus Theologicum esse supernaturalem, secundo vnde peratur & probetur supernaturalitas actus & habitus Theologici.

§. I.

Quidditas propriæ entis supernaturalis in genere.

Certum est primò, quod vox illa (supernaturale) primò non potest significare illud ens quod perfectione superat ens quodlibet naturale, nam multa entia purè naturalia superant perfectione res supernaturales, nam modus præsentie sacramentalis quam habet Christus in Eucharistia perfectione superatur à multis substantijs: & Deus cum sit omnium perfectissimus est tamen ens naturale ac vera natura, excessus igitur perfectionis non significatur per illud super. Secundo ens supernaturale non significatur per illud quod à nulla causa creata produci potest, siue quod superat vim actiuam cuiuscunque creaturæ, sed à solo Deo potest produci, nam Angelus, anima rationalis, & materia prima non possunt produci nisi à Deo solo, & tamen non sunt res supernaturales. Tertio supernaturale non significatur illud quod repugnat naturæ, sicut etiam naturale non significatur, id quod est naturæ conueniens, nam visio beata, virtutes, & alia entia supernaturalia perficiunt naturam, & sunt illi valde conuenientia. Quarto igitur supernaturale non potest aliud significare nisi quod est indebitum cuiuscunque substantiæ tam creatæ, tam creabili, si enim esset alicui solum naturæ indebitum, quodlibet accidens esset supernaturale, nam accidentia leonis indebita sunt

Supernaturale quid non sit.

Supernaturale quid sit.